



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 23. De Horatio Bechio & Didaco Montalvano quædam memorabilia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

pestatibus, solitudine, fame, & morbo adiecit. Quæ omnia non parùm faciunt ad Apostolici viri commendationem.

## CAPUT

XXIII.

De Horatio  
Bechio &  
Didaco  
Montalvano  
quædam  
memorabi-  
lia.

Horatii Be-  
chii necia  
presensio.

Cum Alexan-  
dro Septimo  
affinitas.

Montalvani  
patria.

Affinitas.

Cadavera  
triduo à mu-  
scis & avi-  
bus intacta.

## CAPUT

XXIV.

Quatuor So-  
cietatis fe-  
des stabili-  
tur sumpti-  
bus Regiis.

1613.

Ludovicus  
Valdivia  
vindictam  
prohibet.

Conceptionis  
sedes.

Nonaginti  
baptizan-  
tur.

Araucana  
sedes.

Levo ca-  
strum.

**H**ORATIUM Bechium nobilem Senensem, Episcopi germanum fratrem, Hornabant Virginitas totâ vitâ conservata, erga Virginum Reginam amor, zelus animarum, precandi studium, necnon scientia multiplex, prudentiaque adeo singularis, ut summis provinciæ muneribus etiam tum juvenis omnium votis destinaretur. Magnâ contentione ab Didaco Torres Provinciali missionem ad Araucanos flagitavit, ne vocationi Divinæ obniti videretur: in Italia namque adhuc versanti cœlitus injecta martyrii spes, adeo certa, ut vix de futuro eventu dubitaret. Anno hujus sæculi quarto ex Europâ cum Didaco Torres in Peruviam navigavit, Litteris sacris Limæ non sine laude informatus, cum eodem per Tucumaniam ad Chilense regnum inmensis circuitu ductus, tanta quanta narravimus, inter amicos Indos & rebelles patravit, usque dum, fuso Sanguine, spem cœlitus datam firmaret. Nostrium Horatium non ita pridem illustravit imago Alexandro Septimo Pont. Maximo cum eleganti carmine eo præsertim nomine dicata, quod utriusque familiæ mutuâ affinitate illigata dicantur. Tantis Heroibus additus est Didacus Montalvanus, Mexici in nova Hispania Hispano genere natus, ex Chilensi milite, post annuam in humilibus culinæ, cellæ penariæ, & Sacrarum servitiis periculationem, Jesu Socius factus, sexto tyrocini die rarâ felicitate triumphum meritus est. Dum in exercitu Regio stipendia faceret hoc solemnè habuit, quod numquam adduci potuerit, ut Quadragesimali tempore carnes, eò loci & temporis Regiis militibus legitime concessas, esicaret, pane subcinericio, nullo alio pulmento addito, contentus. Tria cadavera occisorum Sociorum in summis caloribus per triduum nec muscæ, nec aves carnivoræ attigere, donec Valdivia adnitente ad Levo Hispanorum castrum transferrentur. Biennio post ad Conceptionis urbem deportata, nostro in Templo, ad principis aræ latus, cedrina Lipsanthea intus & foris aureo panno inducta, honorificè deposita sunt. Sic novellæ Provinciæ fundamenta Sanguine consecrata fuere, & Socii, exemplo animati, ubique grandia heroicæ virtutis vestigia impressere.

**C**ÆDE peractâ, pacis negotium disturbatum est: nam pleræque factiones, quamvis innocentes, verecundiâ abalienati, ultionis metu iterum pro hostibus se gessere. Cataraiaborum octo millia in amicitia perferere. Hispani contra bello vindicatum ire avebant Sociorum neces: sed Valdivia restitit, volens adhuc servari decretum Regis de non offendentis hostibus, in quorum sinibus quatuor Societatis sedes Vicariâ ab Provinciali potestate acceptâ stabilivit: nam Rex Catholicus in singularum sedium levamentum mille ducatos annuatim numerari jusserat, & Sociorum, partim ex Hispaniâ, partim è Peruvia advectorum manipulus præstò aderat: ex quibus Sociis sequentibus temporibus eminuere Rodericus Vasquius, Peruvix non ita pridem Provincialis, Gaspar Sobrinus Quitensi Provincialatu perfunctus, Vincentius Modolellus Chilensis Vice-provincialis, Augustinus Villaza divinis illustrationibus maximè clarus. Prima sedes, cui deinde, aucto Sociorum numero, Collegii jura concessa sunt, in Conceptionis maritimâ urbe posita est. Unde egressi per vices quinque Socii, circumjacentes regiones, Indorum vicis frequentes, æquali fructu ac labore lustrabant. Ludovicus Valdivia trecentos, Socii alii sexcentos, ex pervicacissima gente anno hujus sæculi decimo-tertio baptizaverunt. Apud Araucanos temporaria sedes in perpetuam etiam mutata est, in qua singulis Dominicis diebus viginti trigintave Barbari Baptismum suscipiebant, plerumque cum festivissimo arcis apparatu, bombardarum explosione, & templi spectatissimo ornatu, ut nempe feroces homines Sacramentum à se susceptum magis æstimarent, & Ethnici popularium suorum honore allecti in eandem sortem filiorum Dei adoptari amarent. Arx Hispanorum altera est, quam Levo vocant: huic arci unus ex Araucanis Sociis perpetuò aderat, Prætoris rogatu, deficiente alio Sacerdote, aliquot Indorum millibus atque Hispanis militibus operam navaturus: præterea

iidem